

Venerabilis frater seu dilecti filii salutem et apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecerunt dilectus filius Hieronymus Lodorij, et dilecta in Christo filia Margarita de Roehaldhoff, seu de Rogendorff Tridentini, seu alterius civitatis, vel dioc., quod alius ante vigesimam sextam diem mensis Januarij anni Domini millesimi quingentesimi sexagesimi quarti, ipsi exponentes scientes quod eadem Margarita fuerat in priori eius matrimonio uxor quondam sigismundi comitis Lodorij, qui cum dicto Hieronymo in quodam consanguinitatis gradu inuicem coniunctus erat, Ignorantes tamen tale impedimentum inter eos existere quominus possent inuicem matrimonialiter copulari, seruatis omnibus solemnitatibus in praemissis uetera antiquum morem illius Provinciae dotalibus instrumentis solemniter celebratis, conuocatis consanguineis, et amicis utriusq; partis sine contradictione ecclesiae publicae ad interrogationem sacerdotis matrimonium inter se per uerba legitime de praesenti contraxerunt, illudq; carnali copula consumarunt, ac ab inde citra tangit, uir et uxor habitus semper fuerunt, et in figura matrimonij huiusmodi bona fide permanendo singulis annis peccata eorum confitendo, et sacrum eucharistiae sacramentum sumendo prolem susceperunt, postmodum tamen ad eorum peruenit notitiam, quod tertij affinitatis gradu inuicem erant coniuncti, impediente matrimonium contrahendum, et dirimente contractum, ex eo proueniente, quod praesatus quondam sigismundus erat tertio consanguinitatis gradu cum dicto Hieronymo coniunctus. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipsi exponentes in hmoi matrimonio remanere non possint, absq; nostra et sedis apostolice dispensatione super hoc obtemperata, et si diuortium inter eos fieret grauius exinde scandala possent uerisimiliter exoriri, prolesq; ex dicto sic contracto matrimonio suscepta, grauius exinde suscipere posset iacturam atq; detrimentum. Quare pro parte eorundem exponentium nobis fuit humiliter supplicatum, ut attento quod cum in contractu matrimonij hmoi palam facta esset praesumptio doli, et fraudis et proles ex eo suscepta sit eum dispensatione apostolica legitima censenda, sibi in praemissis de absolucione debite beneficio, ac opportuna dispensationis gratia providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui pacem inter fideles quoslibet iugere desideramus, et scandala hmoi ne eueniant, quantum cum Deo possumus libenter occurrimus, ac ipsorum exponentium animarum saluti consulere uolentes, certamq; de praemissis notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinari, fraternitati tuae frater Episcopo, seu liceretioni tuae fili vicarie, de quibus in his specialiter in Domino fiduciam obtinemus per praesentes committimus, et mandamus quatenus si praenarrata uera esse legitime tibi constiterit, eosdem exponentes ab incestus reatu et excessibus hmoi necnon a quibusuis excommunicationis, alijsq; ecclesiasticis sententiarum censuris et etiam temporalibus poenis per eos propter praemissa respectiue quomodolibet incurris, si id a te humiliter petierint in utroq; foro absolueres penitus et liberare, Iniuncta inde eis pro modo culpa poenitentia saluari, ac impedimentum tertij affinitatis gradus hmoi in totum remouendo, et hmoi matrimonium sic ut praesertur inter ipsos exponentes contractum ex tunc prout ex ea die legitimum fore et esse, Decernendo cum eisdem exponentibus, ut impedimento tertij Affinitatis gradus hmoi, alijsq; impedimentis non obstantibus, in eorum sui contracto matrimonio quoadiuxerint remanere, illog, uti liberi et licite possint et ualeant dispensare, Prolem, ex hmoi matrimonio susceptam habentem et suscipiendam legitimam fuisse fore et esse, ac in quibuscumq; tam paternis et maternis quam etiam aliorum quorumcumq; consanguineorum suorum tam ex testamento quam ab intestato ac etiam in feudis tam ecclesiasticis q; secularibus, ac etiam Imperialibus etiam nobilibus et dignitatibus, et Comitatum habentibus etiam paternis, et antiquis, et forsan ex pacto et providentia succedere posse, simpliciter decernere, et declarare auctoritate nostra uires. Non obstantibus praemissis, ac quibusuis apostolicis, ac provincialibus, et sinodalibus constitutionibus, et ordinationibus, Necnon etiam iuramento, et confirmatione apostolica, uel quacumq; firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, legibus etiam Pontificijs, Imperialibus, et municipalibus, privilegijs quocq; indultis et licentis apostolicis sub quibuscumq; tenore et formis, ac alijs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, ceterisq; contrarijs quibuscumq; Datum Roma apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxij Decembris M. D. LXXvij. Pontificatus Nri Anno secundo :-

Ca: Gloriosus .. ∞



1567 13/x

Ven<sup>to</sup> fratri episcopo Tridentino, sine dilecto filio eius  
vicario in spiritualibus generali. . .  
1466. dispensatio Martin<sup>o</sup> et legitimitas Bobij 6.  
Hov<sup>ni</sup>

N<sup>o</sup> 14



Marsio 26 (53)

f. 14. v. 10.

